

FORTITUDINEM ADVERSUS OMNIA VITIA DIMICARE DEBERE, PRAECIPUE
ADVERSUS AVARITIAM.

Non est igitur mediocris nec discreta a caeteris animi fortitudo, quae bellum cum virtutibus gerat, sed quae sola defendat ornamenta virtutum omnium, et iudicia custodiat, et quae inexpiabili praelio adversus omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec (ut dicitur) ave dicat, pecuniam negligat, avaritiam fugiat tanquam labem quandam, quae virtutem effoeminet. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Frequenter pulsus hostibus, et inclinata in fugam adversariorum acie, dum exuviis caesorum capitur praeliator, inter ipsos, quos stravit, miserandus occubuit: et triumphis suis dejectae legiones dum spoliis occupantur, hostem in se revocarunt, qui fugerat. Fortitudo igitur tam immanem pestem repellat et proterat, nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu; quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia, tanquam virtutis venena: iracundiam velut quibusdam propulset armis, quae tollat consilium, et tanquam aegritudinem vitet. Gloriam quoque caveat appetentiam, quae frequenter nocuit immoderatus expetita, semper autem usurpata. Quid horum sancto Job, vel in virtute defuit, vel in vitio obrepit? Quomodo laborem aegritudinis, frigoris, famis pertulit? Quomodo despexit salutis periculum? Numquid rapinis divitiae coacervatae, de quibus tanta inopibus affluebant? Numquid avaritiam census, aut voluptatis studia cupiditatesque excitavit? Numquid trium regum injuriosa contentio, vel servorum contumelia in iram excussit? Numquid gloria sicut levem extulit, qui imprecabatur gravia sibi, si unquam vel non voluntariam celavisset culpam, vel reveritus esset multitudinem plebis, quo minus annuntiaret eam in conspectu omnium? Neque enim consentaneae sunt vitiis virtutes, sed sibi constant. Quis igitur